

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

7.-116.
DA BOX
LN 1129
ex. 1
M
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

+

Illuſtriſsimo ac ge=
neroſiſs. Principi ac
Domino, Dn: Chri=
ſtiano IIII, Daniæ
Et Norvegiæ, ꝑ Regi
inaugurato, Do=
mino meo Clemen=
tiſsimo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

CONCIONES QVÆ IN TRIBVS DIEBVS

Publicarum precationum,
7. 8. 9. Februarij
Eccleſiæ propo-
nentur.

P. M.



HAFNIÆ
Impreſsit Matthias Vinitor.
ANNO
M. D. LXXXVI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

AVGVSTINVS.

FIdeliter ſupplicans Deo, pro neceſſitatibus huius vitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus, quam ægrotus.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

CONCIO PRIMÆ Diei.

Eſa: 40.

VOX dicentis, clama: & dixit, quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, ſicut flos agri. Exaruit fœnum, & cecidit flos, quoniam ſpiritus Domini afflauit eum. Verè fœnum eſt populus. Exaruit fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Dei noſtri, ſtabit in æternum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

EXORDIVM.

SI diligentiùs præſentem eumq́; afflictiſsimum Eccleſiæ & omnium penè regnorum ſtatum intuemur, verè cum Propheta exclamare poſsumus: miſericordiæ Domini, quòd non conſumpti ſumus. Videmus enim Eccleſias, plurimis in locis, triſtiſsimis diſsidijs miſerè lacerari, bellis & ſeditionibus, paſſim omnia turbari. Neq; certè alius noſtrarum Eccleſiarum & regnorum ſtatus expectari potuiſset, niſi Deus ſingulari ſua ac verè paterna miſericordia motus, tam triſtes pœnas, à nobis clementer auertiſset. Hæc pro ſingulari ſua pietate, optimus ac pijſsimus Rex noſter, ani-

mo ſe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

mo ſecum diligentiùs reuoluẽs, pia
συμπαθεία, in tantis motibus, ſe-
riò afficitur, ſimulq́; gratâ mente,
cogitat ſingularem noſtrarum Ec-
cleſiarum & regnorum fœlicita-
tem, quæ ſalutari concordia, pace
& tranquillitate plurimis nunc an-
nis florent. Cogitat tanta bona, nul-
lâ ſapientiâ aut induſtriâ humanâ
vel parari vel conſeruari poſſe: ſed
omnia ſoli Deo, eiuſq́; gratuitæ mi-
ſericordiæ aſcribenda eſſe, ideóq;
ſeriò & ardenter à Deo petendum,
ne propter multiplicia peccata et ſce-
lera noſtra, quæ indies, proh dolor,
cumulari videmus, tanta bona à
nobis auferat: ſed vt propter pa-
ternam ſuam bonitatem, & dile-
ctum filium, ea nobis in poſterum
quoq; in ſui nominis gloriam, &

noſtrarum Eccleſiarum ac regnorum, piam & ſalutarem gubernationem, clementer conſeruare dignetur.

Vt autem nos etiam, ad tantarum rerum ſeriam cogitationem excitemur, mandauit Sereniſsimus ac piiſſimus Rex noſter, tres hoſce dies publicarũ precationũ, ſolẽniter per vniuerſum regnũ celebrari. Quare decet, vt ad optimi ac pijſsimi Regis noſtri exemplum nos exuſcitemus, vtq; frequentes, omnibus auocamentis ſepoſitis, cùm ad ſacras conciones diligenter audiendas, tùm etiam ad preces noſtras, coniunctis animis & votis, piè ardenterq; dicendas, triduum hoc conueniamus. Filius Dei, qui ſedet ad dexteram patris, interpellans pro nobis,

excitet in nobis, ſpiritum illum gratiæ & precum, faciatq́; vt preces noſtræ, quas veris cordis gemitibus, in eius nomine fundimus, Deo gratæ & acceptæ, Eccleſijs noſtris & regnis, nobiſq́; omnibus vtiles ſint & ſalutares. Amen.

Nunc ad textum, quem ſuprà recitaui, breuiter explicandum, propiùs accedamus, in quo tres potiſsimùm doctrinæ obſeruandæ veniunt.

1 Eſt dialogiſmus Dei & Prophetæ.

2 Inſignis concio de vitæ humanæ fragilitate, quam duabus ſimilitudinibus pingit.

3 Monſtrat vnde petenda ſit vera conſolatio, aduerſus tantam naturæ noſtræ fragilitatem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

DE PRIMA
Doctrina.

PVlcherrimus eſt dialogiſmus Dei et Prophetæ, quo & verbi miniſtri, & eorum auditores, ſui officij admonentur. Quemadmodum enim Propheta, in docendo, vocem Dei ſequitur, neq; quicquam, niſi Deo dictante profert: Ita miniſtri, docentes in Eccleſia, non humana ſomnia, ſed Dei verbum, in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis compræhenſum, auditoribus ſuis proponere debent, idq; non muſſitando, ſed clamando, liberè ſcilicet & audacter, docendo, monendo, arguendo, omni metu ſepoſito. Sic idem Propheta cap: 58. Clama, ne

ceſſes,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

*ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tu-
am, & annuncia populo meo ſcelera
eorum, & Paulus 2 Timoth: 4.
Prædica verbum, inſta opportunè,
importunè, argue, & obſecra, in-
crepa in omni patientia & doctri-
na.*

*Vt autem intrepidè officium ſu-
um faciant, vocati ad miniſterium
docendi, ſemper animis eorum inſi-
deat illud Prophetæ; Maledictus
qui facit opus Domini fraudulen-
ter. Item illud Pauli: Væ mihi,
ſi non Euangelizauero. Quare me-
tuant ſibi neceſſe eſt, muti iſti ca-
nes, qui vel ſpe victi, vel metu
fracti, vel blanditijs debilitati, ora
ſibi obſtrui ſinunt, & iniuſto ſilen-
tio, confirmant multorum peccata,
qui liberè admoniti, haud dubiè vi-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

tam & mores emendarent. Sed certum eſt, arduum eſſe & difficile, eiuſmodi libertate vti. Quare ſæpe & ardenter, cum Dauide orandum eſt: Domine labia mea aperies. Imitentur etiam pij Eccleſiarum doctores, exemplum Pauli, qui, Epheſijs ſcribens, petit precationes fieri, cùm pro omnibus ſanctis, tùm etiam pro ſe, vt ſibi detur ſermo in apertione oris ſui cum fiducia.

Deinde auditores verbi, hoc dialogiſmo admonentur, non aliter audiendos eſſe verbi miniſtros, quàm ſi ipſum Deum è cœlo concionantem audirent, quod ſi quidam diligentiùs cogitarent, æquiore animo, vitia ſua interdum accuſari paterentur. Interim illud Chriſti,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Lucæ 10. *Qui vos audit me audit & , qui vos ſpernit, me ſpernit,* omnes pios meritò mouebit, vt non minus reuerenter excipiant, quæ à verbi miniſtris adferuntur, quam ipſius Dei oracula, cuius ipſi organa ſunt & inſtrumenta.

DE SECVNDA Doctrina.

Hæc eſt admodum inſignis concio, quæ ſi aliàs vnquam, hoc certè tempore, ſummè eſt neceſſaria, quæ palàm coram omnibus proclamari debeat. Ita enim omnium penè hominum animos occupauit ſuperbia, vt paucos inuenias, qui ſeſe emendari ſinant. Verùm ij, cuiuſcunq; tandem ordinis ſint aut dignitatis,

audiant

audiant Prophetam, ex ore Dei clamantem, et quidem oratione geminata, vt altiùs animis noſtris inſideat : Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, ſicut flos agri.

Hæc ſcilicet eſt tota vita noſtra, hæc omnis gloria noſtra, vnde miſeri ſuperbimus, & criſtas erigimus. Viuimus vitam, & quidẽ, vt nobis videtur, ſplendidam, ſed quæ ſingulis momentis, varijs caſibus ac morti ipſi eſt obnoxia. Excellimus potentiâ, opibus, dignitate, ſapientiâ, prudentiâ, alijſq; animi dotibus, verùm hæc quantumuis ſplendida ſint & magnifica, breui momento intereunt, non ſecus atq; flos agri, qui cùm maximè floret, leui vento concidit. His & id genus alijs ſimilitudinibus, Regius propheta

propheta Dauid, vitæ noſtræ fra-
gilitatem, ſignificanter depingit.

Pſal: 90. Facis diffluere eos ſicuti nimbum. Somnium ſunt, ſicut gramen, quod ſubitò exareſcit, quod manè floret, & mutatur veſperi, exciditur & areſcit.

Pſal: 103. Homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, ſic efflorebit.

Et Iacobus cap: 4. Quæ eſt enī vita veſtra? vapor eſt pauliſper apparens, & deinceps euaneſcens.

Pudeat igitur nos ſtultæ noſtræ ſuperbiæ, &, in nos deſcendentes, agnoſcamus, quàm nihili ſit omnis humana præſtantia, ne quid inde gloriemur, néue nobis inferiores, ex alto quaſi, deſpiciamus: Sed cogitemus & vitæ noſtræ fra-

gilitatem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

gilitatem, & dona alia, ſi quibus, præ alÿs, diuinitus ornati ſumus, omnino eſſe momentanea.

DE TERTIA Doctrina.

Ne autem deſpondeamus animum, etiamſi fumus ſimus, & res nihili, omniſq; noſtra præſtantia, fallax ſit & emarcida: cogitanda nobis eſt, dulciſſima conſolatio, in hac tertia doctrina propoſita, quâ, veluti manu porrecta, nos erigamus. Ea demum eſt verbum Dei, quod in æternum ſtabit, nulli vnquam mutationi obnoxium, ipſo etiam Chriſto atteſtante, Lucæ 21. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Neq;

verò

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

verò verbum Dei ſolùm, ſed & omnes, qui verbo ſociati ſunt, vt Hieron: inquit, in æternum permanebunt. Non eſt autem aliud verbum Dei, quàm quod pij Eccleſiarum doctores ſonant, ſicuti Petrus ipſe teſtatur, citans hoc dictum Prophetæ. 1 Pet: 1. Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria hominis, vt flos fœni. Exaruit fœnum, & flos decidit. Verbum autē Domini, manet in æternum. Hoc eſt autem verbum, quod Euangelizatum eſt inter vos.

Audimus verbum Dei, quo promittitur omnibus credentibus in Chriſtum, ſalus & vita æterna, veluti Ioha: 3. 5. 8. & alibi paßim. Hoc verbum Dei, nequaquam aſpernemur, quemadmodum Ana-

bap-

baptiſtæ, & alij homines profani
hodie faciũt, ſed illud magnifacia-
mus, audiendo, legendo, meditan-
do, & promiſsiones in verbo pro-
poſitas, firma fide nobis applice-
mus, vnde mox ſolida concipitur
conſolatio, ne quid nos moueat, vel
vitæ huius fugacitas, vel rerum
humanarum viciſsitudo momenta-
nea, ſed vt certi ſimus, nos cum
verbo Dei, cui ſociati ſumus, in æ-
ternum permãſuros, vitâq; et bea-
titudine nunquam finienda, cum
Deo, ſanctiſq; eius Angelis, & e-
lectis omnibus, perfruituros.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

CONCIO SECVNDÆ Diei.

Eſa: 55.

QVærite DOMINVM dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad DOMINVM, & miſerebitur eius, & ad DEVM noſtrum, quoniam copioſa eſt apud eum remiſſio.

ENARRATIO.

HÆc eſt inſignis concio, qua propheta omnes ad pœnitentiam inuitat. Quare eti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

am nos hodie eâdem concione, ad ſeriam pœnitentiam vocari ſtatuamus: Neq; obturemus aures noſtras, ad tam dulcem concionem, ſed cogitantes extremam noſtram miſeriam qui propter impietatem, & iniquitatem noſtram, abalienati ſumus à Deo, maturè reſipiſcamus, ardenteq; inuocatione, Deum quæramus, quod, ſi faciemus, nequaquam abſcondet ſe à nobis, ſed facilè patietur ſe inueniri: neq; longiùs à nobis recedet, ſed propè aderit nobis, ſummoq; nos fauore & miſericordia, verâ & non fictâ pœnitentia, ad ipſum confugientes, complectetur, Sed textum ordine & breuiter percurremus, in quo quinq; potiſſimùm occurrunt, quæ ſeriò

pœnitenti, neceſſariò ſunt cogitanda.

PRIMVM.

Mandatum Dei: Quærite DOMINVM: inuocate eum: quod mandatum, alibi paſsim, cùm in vetere, tùm in nouo teſtamento repetitur. Eſa: 1. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum. Et 45. Conuertimini ad me et ſalui eritis vniuerſi fines terræ. Sic Chriſtus, eiuſq; præco Iohannes, ſuas conciones exorſi ſunt: Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum. Matth: 3. & 4. Hoc tam ſerium Dei mandatum, nemo hominum, niſi cum certiſſimo vitæ & ſalutis æternæ diſpendio, contempſerit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Quis ſit quærendus & inuocandus? DOMINVS. Is enim ſolus, in vera pœnitentia, quærendus eſt & inuocandus: Coram hoc flectenda ſunt genua verè pœnitenti: in eius ſinum, vero animi dolore, veriſq́; cordis gemitibus, effundenda ſunt omnia peccata, quantumuis enormia & atrocia: Hic DOMINVS eſt, qui cor contritum & humiliatum non deſpicit, ſed qui vera fide inuocatus, pœnitentes omnes benignè exaudit, eorumq́; peccata delet, ita vt eorum recordari ampliùs nolit. Qui autem, ſenſu peccatorum & iræ diuinæ preſſi, aliò ad remedium quærendum confugiunt, ij, vt Deum ſuo honore

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

impiè ſpoliant, ita omni ſpe ſua, miſerè fruſtrantur.

TERTIVM.

Temporis opportunitas, quæ cùm in rebus alijs omnibus, fœliciter gerendis, plurimum momenti habeat: in vera quoq; & ſeria pœnitentia agenda, nullo modo eam negligendam, propheta monet. Dicitur autem Dominus, tunc inueniri poſſe, & propè eſſe, quando prædicatione Euangelij, omnes ad ſeriam pœnitentiam inuitat, omnesq́; vera fide in Chriſtum, ad ſe confugientes, brachiis veluti expanſis, vlnis miſericordiæ ſuæ, complectitur.

Hoc tempus Eſaias 49. vocat tempus acceptum & diem ſalutis: In tempore, inquit, accepto, exau-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

diui te: & in die ſalutis, ſuccurri tibi. Sic quadraginta dies, tempus erant acceptum, quo Niniuitæ, ad concionem Ionæ, verâ pœnitentia quærebant Dominum, quibus etiam præſens aderat opitulator. Sic primæ ætatis hominibus, decreti ſunt centum & viginti anni, ad pœnitentiam agendam, quod tempus acceptum, cùm impiè negligerent, miſerrimè tandem, vniuerſali diluuio abſorpti ſunt. Hoc tempus acceptum Paulus explicat 2. Cor: 6. Ecce nunc, inqiens, tempus acceptum: ecce nunc dies ſalutis, quando ſcilicet, prædicatione Euangelij, remiſsio peccatorum, diuina miſericordia, iuſticia, ſalus & vita æterna, omnibus verè pœnitentibus,

in Chriſto

in Chriſto offertur. Nam illud NVNC, ad omnes ætates per-tinet, in quibus Deus ex ſuo bene-placito, verbum ſuum annunciari permittit, ita ut etiam hodie, ve-rè dicere poſſint miniſtri Euange-lij: Ecce nunc tempus acceptum: ecce nunc dies ſalutis. Sed meri-tò accuſanda eſt noſtra ingratitu-do, qui ad tam claram Euangelij lucem, in hiſce regnis accenſam, cæcutimus, & euangelica libertate, ad omnis generis flagitia, ſecurè perpetranda, ſceleratè abutimur. Nunc propè adeſt Dominus: nunc quærentibus, vltro ſe offert: Sed metuendum eſt, ne iuſtiſsimâ irâ, propter ingratitudinem, & multiplicia ſcelera noſtra, accenſus, longiùs à nobis recedat, ſeq; ab-

ſcondat, auferendo à nobis verbum ſuum, ita vt denſiſsimis tenebris, rurſus inuoluamur, quando fruſtrà eum quæremus & inuocabimus. Tunc enim iuſtiſsimè nobis occinet illud Prouerb: 1. Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm id quod timebatis, vobis aduenerit. Et in eodem cap: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam. Mane exurgent, & non inuenient. Item illud Zacha: 7. Factum eſt, ſicut locutus ſum, & non audierunt, ſic clamabunt, & non exaudiam.

Agnoſcamus igitur, etiam noſtri

temporis

temporis opportunitatem, eamq́ grata mente arripiamus, vt ſeriâ pœnitentia Dominum quæramus ac inuocemus, nihil dubitantes, quin in omnibus neceſſitatibus noſtris, præſentem eum, habituri ſimus opitulatorem.

QVARTVM.

Quomodo affectus eſſe debeat, qui Deum ſeriò quæret & inuocabit, Derelinquat, inquit propheta, impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum. *Omnis igitur iniquitas relinquenda eſt: Omnes prauæ actiones deſerendæ: Omnes deniq́ vicioſi affectus exuendi, volenti Deum ſeriò quærere & inuocare. Hoc facto, reuertatur ad*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Dominum, cum ſerio ac pio propoſito, peccatum omne in poſterum vitandi, Deoq́ omnem vitam ſuam approbandi. Nam abſq́ hoc propoſito, fruſtrà Deus quæritur, fruſtrà inuocatur. Peccatores enim, Chriſto ipſo atteſtante, Deus non exaudit, impœnitentes ſcilicet & in delictis ſuis perſeuerantes.

Indicti ſunt à pijſsimo Rege, ſolennes hi precationum dies, vt Deum ſeriò quæramus ac inuocemus. Emendemus igitur non ſolùm externas prauas actiones, ſed etiam internos vicioſos affectus, verâq́ non ſimulata pœnitentia, Deum quæramus ac inuocemus, nec quicquam dubitemus quin & certò eum inueniamus, &

benignè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

benignè ab eo exaudiamur.

QVINTVM.

Dulciſsimæ promiſsiones, quæ pœnitentiam agentes, de miſericordia Dei confirmant. Nam anguſtior eſt mens humana, quam vt magnitudinem miſericordiæ diuinæ capere poſsit. Vt igitur animos noſtros, aduerſus impiam dubitationem, de gratuita Dei miſericordia, confirmemus, hæc diligenter conſiderentur.

1 Promiſsiones, quales hîc à propheta recitantur. Reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quia copioſa eſt apud eum remiſsio.

Et pſalm: 130. Speret Iſrael in Domino, quia apud Dominum miſe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Item pſal: 103. Miſerator & miſericors Dominus, &c. Et aliæ his ſimiles, quæ huc colligantur.

2 *Suauiſſimæ iſtæ parabolæ, quibus Chriſtus immenſum ſuum & plus quam paternum affectum, erga pœnitentes declarat. Luc: 15.*

3 *Exempla primorum parentum, & aliorum qui ſeriò pœnitentes, miſericordiam ſunt conſecuti.*

4 *Victima Filij, quæ vel ſola miſericordiæ diuinæ, teſtimonium eſt omnium euidentiſſimum. Sic Deus dilexit mundum &c: Ioh: 3. Et Rom: 5. Commendat*

dat autem charitatem ſuam erga nos Deus. 1 Ioh: 4. In hoc apparuit charitas Dei erga nos &c:

5 Sacramenta ipſa, quibus veluti firmiſsimis ſigillis, miſericordia Dei nobis obſignatur.

Hæc ſi diligenter cogitabimus, nequaquam metuemus ad Deum, licet plurimis fœdiſsimiſq́; peccatis noſtris grauiſsimè offenſum, ſeriâ pœnitentia accedere, ſed verbo Dei confirmati, firmiſſimè ſtatuemus, miſericordiæ ianuam, omnibus, vera fide eam pulſantibus, nullo non tempore patêre.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

CONCIO TERTIÆ Diei.

Ierem: 10.

SCIO DOMINE, quòd non eſt hominis via eius, neq; eſt viri, dirigere greſſus ſuos. Caſtiga me Domine in iudicio, non in furore, ne fortè ad nihilum redigas me.

ENARRATIO.

AVdiuimus hactenus, quanta ſit humanæ vitæ fragilitas, quamq; res nihili ſit, omnis humana præſtantia, nec quicquam eſſe, in quo repoſita ſit vera conſolatio, præter verbum Dei, quod

in

in omni noſtra miſeria & neceſſitate, ſolum Deum verâ pœnitentia quærendum & inuocandum eſſe monſtrat, ſimulq; gratuitam eius miſericordiam, omnibus ſeriò reſipiſcentibus, offert. Nunc commodè additur hæc Ieremiæ concio, breuis illa quidem, ſed admodum inſignis, & propter precationem, quæ in eâ recitatur, non ſolùm conſideratione, ſed etiam imitatione digniſſima. Sunt autem huius precationis duæ partes.

1. Confeſſionem habet humanæ imbecillitatis.
2. Oſtendit quo affectu, pœnitentes, ad Deum accedamus.

DE PRIMA Parte.

Ingens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Ingens eſt & magna naturæ humanæ imbecillitas, quæ in periculis, quibus omni momento expoſiti ſumus, & in tanta difficultate rerum gerendarum, in tantis inſidijs diaboli, vocationi & moribus regendis, nullo modo par eſſe poteſt. Hæc naturæ noſtræ ĩbecillitas, ad prophetæ exemplum ingenuè abſq; vlla ſimulatione, coram Deo eſt agnoſcenda: Neq; fidendum eſt noſtrâ ſapientia & viribus, ſed Deum ſeriò & ardenter oremus, vt adſit nobis ſpiritus ſanctus gubernator & adiutor, ſæpeq; cum Dauide has precationes repetamus: pſal: 5. Domine, deduc me in iuſtitia tua, propter inimicos meos. Pſal: 119. Dirige greſſus meos ſecundum eloquium tuum.

143. Doce

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

143. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Spiritus tuus bonus, deducat me in viam rectam.* Hoc ſi faciemus, experientia docebit, verè nos regi & iuuari à Spiritu ſancto, quemadmodum ſonant dulciſsimæ promiſsiones, Pſal: 32. *Intellectum tibi dabo, docebo te in via quâ gradieris: oculo meo te regam:* Et exempla Noë, Loth, Ioſeph, Moſis, Ioſaphat, aliorumq́ complurium piorum hominum teſtantur. Quinimo nullus erit, opinor, niſi Deo omnino ingratus, qui non libenter fateatur, ſe in rebus arduis ac dubijs, nullâq́ arte & ſapientia humana extricabilibus, diuinitus ac mirabiliter, ſæpius fuiſſe adiutum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

DE SECVNDA Parte.

Hæc pars perſpicuè docet, quo affectu, pœnitentes, ad Deum accedamus, nempe, Abyciamus omnem hypocriſin, quæ peccata, vel non agnoſcit, vel agnita, quouis prætextu palliare, ac externa ſanctitate, veluti folijs fici, tegere ſtudet: Et ingenuè fateamur peccata noſtra, eaq́; iuſtè à Deo puniri agnoſcamus. Neq; fugiamus Deum, ſed omni animi ſubiectione, ad eum, tanquam ad benigniſſimum patrem accedamus, noſq́; ad caſtigationem ferendam, paratos offeramus, id tantum precantes, ne in furore ſuo, ſed in iudicio, hoc eſt, ſeruato modo, nos caſtiget:

Vt pa-

vt paternè nos corripiat, non vt iudex: medici more, non tortoris: nec metiatur vindictam peccato ſed benignitate temperet iuſtitiam. Sic orat Dauid, pſal:6 & 38. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Et digna eſt illa Hieronymi precatio, quæ hoc loco recitetur: Meremur quidem omnia, quæ ſuſtinemus, & multo meremur maiora quam patimur: Veruntamen hoc obſecro, vt quaſi pater me corripias, non quaſi aduerſarius: Vt me emendes quaſi filium, & non punias quaſi inimicum. Ne igitur nobis blandiamur, ſed agnitis peccatis, iuſtè etiam diuinitus ea puniri agnoſcamus: neq; omnem caſtigationem detrectemus, ſed tantum precemur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Vt paterna ea ſit, et moderata: ne iratus, inter vaſa iræ nos abijciat, ſed vt in medio iræ, miſericordiæ recordetur, noſq; ab vberibus miſericordiæ ſuæ pendentes, clementer ac paternè, in gratiam recipiat, benignèq; tueatur atq; conſeruet.

Agite verò, auditores chariſsimi, moueant nos grauiſsimæ hæ prophetarum conciones, non aliter, ac ſi Deum ipſum, nobis è cœlo concionantem, audiremus: ac ſeriò cogitemus, cùm extremam noſtram miſeriam, tùm Dei immenſam atq; ineffabilem miſericordiam: Cogitemus quam triſtes & horribiles confuſiones ſint, plurimis locis, non ſolum in politico ſtatu, verùm etiam eccleſiaſtico,

quas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

quas cùm nullâ noſtrâ, vel ſapientia vel diligentia, euitare poſſimus, ardente inuocatione ad Deum accedamus, eumq́; quotidie cum pijſsimo Rege Ioſaphat precemur: Nos neſcimus quid agere debeamus: hoc autem ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus.

Te igitur æterne Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, toto pectore precamur, conſerua verbum tuum, nec ſinas extingui lucem Euangelij in hiſce regnis accenſam: quin potiùs, magis magiſq́; eam accende, & verbi predicatione, collige tibi Eccleſiam, etiã in hiſce regnis boreis, eamq́; quemadmodum hactenus, ita deinceps quoq́;, in verâ ac piâ concordia

conſerua, vt docentes ac diſcentes, vero pietatis ſtudio, animiſq́; coniunctis, doctrinam, quam à maioribus puram integranq́; acceperunt, ſynceram, nulliſq́; erroribus deformatam, poſteritati, veluti per manus, tradant. Reprime Satanam, eiuſq́; organa, quorum pernicioſis cõcertationibus, Eccleſiarum pax & tranquillitas, non ſine magno piorum luctu, ac graui veræ religionis iactura, plurimis locis, miſerè turbatur.

Conſerua Regem noſtrum clementiſſimum, verum Eccleſiæ nutritium, & in tantis rerum omnium confuſionibus, adſis ei Spiritu tuo ſancto rectore & gubernatore, vt in veræ pietatis, iuſtitiæ & æquitatis regia via,

rectà

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

rectà incedens, nullo vnquam errore ſeductus, vel minimùm ab ea deflectat.

Conſerua illuſtriſsimam Reginam, electum Principem, cæteroſq́; liberos Regios, vt quemadmodum ætate, ita quoq; verâ pietate, probitate, ſapientia, aliiſq́; Regijs virtutibus, indies magis magiſq́; proficiant.

Conſerua prudentiſſimos regni Senatores, eorumq́; conſilia & actiones omnes, Spiritu tuo ſancto rege, vt tibi gratæ, Eccleſiæ & ſcholis, & hiſce regnis, vtiles ſint & ſalutares.

Conſerua florentiſsimam horum regnorum nobilitatem, omneſq́; ſubditos, & publicas ac priuatas calamitates clementer mi-

tiga. Conſerua nos à peſtilentia, bello & fame, cæteriſq́; malis omnibus, quæ peccata noſtra iu-ſtiſsimè merentur: neq́; effundas omnem iram tuam in nos, qui ad miſericordiæ tuæ vlnas, veris cor-dis gemitibus confugimus: Sed in medio iræ tuæ, miſericordiæ re-corderis, vt diuino tuo præſidio, ac paterna protectione, ab omni-bus periculis clementer conſeruati, in hac & futura vita, te, Pa-trem & Filium & Spiritum ſanctum perpetuis lau-dibus cele-bremus.

AMEN.

ORDI-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

ORDINATIO PRECATIONUM, *Epiſtolarum & Euangeliorum*, quæ ſingulis Diebus recitabuntur,

PRIMAE DIEI Precatio, ſiue COLLECTA.

O Du Naadefulde oc Barmhiertige Gud oc Fader/ wi tacke dig / At du / Aff din Guddommelige oc Faderlige godhed / haffuer ſkenckt oc giffuet oſſ dit hellige oc ſalige Ord / oc Ordſens Tiennere: Wi bede dig ydmygelige O Naadige Fader / du wilt icke / tage ſaadan din Guddommelige ſkenck oc gaffue fra oſſ / for voris ſtore wtacknemmelighed / huilcken wi met megen Hoffmod / oc mange atſkillige

andre Synder / beuiſe mod dig: Men den helder aff din Faderlig godhed Naadelige beuare: Oc begaffue oſſ met din Hellig Aand / at wi met ydmyge Hierter / maa bekiende voris menniſkelige naturs ſtore ſkrøbelighed / oc all voris Herlighed / icke at være andet end it Blomſter ſom ſtrax viſner oc forgaar: Oc at wi met Tacknemmelige Hierter / maa annamme dit hellige oc ſalige Ord / ſom aldrig forgaar / oc ſaa effter dette forgengelige liff / indtagis i dit Rige / i euig glæde oc herlighed / ved din eniſte oc elſkelige Søn / Jeſum Chriſtum vor Herre.

A M E N.

LOCO

LOCO EPISTOLÆ,
Eſai: 40.
Vox dicentis: &c.

EVANGEL: MATTH: 3.
Initium; In diebus autem illis: &c.
Finis: Rectas facite ſemitas eius.

SECVNDÆ DIEI
Collecta.

O Almectige / Euige Barmhiertige Gud oc Naadige Fader / wi arme Menniſke / komme for dit Anſict /met voris mangfoldige Synder / met huilcke wi haffue opuact din retferdige Vrede offuer oſſ / oc vel fortiænt / at du ſkulde ſkiule dig for oſſ/ oc icke ſkulde ville høre voris Bøner: Men effter din Naadelige Løffte oc Foriettelſe / ſøge wi effter dig

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

ter dig / oc vdi voris ſtore Nød oc Trang / giøre voris Bøn til dig: du wilt Naadelige forbarme dig offuer oſſ / oc forlade oſſ alle vore fremfarne Synder / huilcke wi aff gantſke Hierte angre oc fortryde: du vilt begaffue oſſ met din Hellig-Aand / at wi aluorlige kunde rette oc bedre voris ſyndige Leffnet / oc ſtaa aff det onde / oc giøre det gode / du wilt Naadelige affuende all voris vel fortiente Heffn oc Straff / oc vdi all vor Nød oc Trang opholde oſſ ved din ſtore Barmhiertighed / for din eniſte oc elſkelige Søn / Jeſum Chriſtum vor

HERRE

A

M E

N.

LOCO

LOCO EPISTOLÆ
Eſa: 55.
Quærite Dominum.

EVANGEL: LVC: 3.
Initium: Dicebat ergo ad turbas.
Finis: Omnis ergo arbor.

TERTIÆ DIEI
Precatio.

O Euige / Naadefulde oc Barmhiertige Gud oc Alſomkierriſte Fader: wi arme Menniſke / Bekiende aff gantſke Hierte /voris ſtore ſkrøbelighed/at wi vdi Dieffuelens atſkillige Friſtelſer/ oc mangfoldig fare oſſ daglige paa henger / icke kunde bliffue beſtendige / aff voris egen menniſkelige Mact/ Raad eller Viſdom :Wi bede dig ydmygelige O Naadige

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Naadige Fader / du wilt opliuſſe voris mørcke forſtand / oc raade oc regere oſſ / vdi alle voris Veye met din HelligAand / du wilt icke ſee til voris Synders mangfoldighed / ey helder til din ſtrenge Retferdighed / men mit i din Vrede tencke paa din Faderlige Naade oc Barmhiertighed / at wi dine Børn / ſkulde icke endelige ødeleggis / men naadelige beuares / Oc altid loſſue oc priſe dig / ſom en Naadig oc Barmhiertig Gud oc Fader / ved din eniſte oc elſkelige Søn / Jeſum Chriſtum vor Herre / AMEN.

LECTIO EPISTOLÆ
Ierem: 55.
Scio Domine &c.

EVANGEL: LVC: II.
Initium. Petite & dabitur vobis.
Finis. Quanto magis pater veſter.

HAFNIÆ
ex officina Matthiæ Vinitoris
ANNO
1586.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1129 8° copy 1